Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

eas quodam modo non id existimando sed putando. Non quo se imagines putet. sed omnino illud ipsum cuius imagines secum habet. Viget quippe in ea iudicium discernendi corpus quod foris relinquat ab imaginibus quas de illo secum gerit. Nisi cum ita exprimuntur easdem imagines tamquam foras sentiantur. non intus cogitentur. sicut dormientibus atque furentibus aut in aliqua extasi accedere solet. Cum itaque sit tale aliquid putat. corpus se esse putat. Et quia sibi bene conscia est principatus sui corpus regit.

De opinionibus eorum qui mentem aliquid precipuum corporis esse senserunt.

Hinc factum est ut quidam quererent. quid corporis amplius valeret in corpore. et hoc esse mentem. vel omnino totam animam existimarent. Itaque alii sanguinem. alii cerebrum. alii cor. non sicut scriptura dicit. Confitebor tibi domine in toto corde meo. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. hoc enim abutendo. vel transferendo vocabulo dicitur a corpore ad animum. Sed ipsam omnino particulam corporis quam in visceribus dilaniatis videmus eam esse putaverunt. alii ex minutissimis individuisque corpusculis que athomos dicunt. concurrentibus in se. atque coherentibus eam effici crediderunt. Alii aerem. alii ignem. substantiam eius esse. Quia nisi corpus nullam substantiam poterant cogitare. et eam corpus esse non inveniebant. Sed ipsam temperationem corporis nostri. vel compagem primordiorum. quibus ista caro tamquam connectitur. esse opinati sunt. Atque omnes eam mortalem esse senserunt. Quia sive corpus esset sive aliqua compositio corporis. non posset utique inmortaliter permanere. Qui vero eius substantiam vitam quandam nequaquam corpoream quandoquidem